Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et libertate sua et uindicare. Ita post hec tanta augmenta et piacula blasphe
miarum. nullamque penitenciam. ultima illa diuque suspensa urbem pena consequitur.
Adest alaricus. trepidam romam obsedit. turbatam irrupit. dato tamen precep
to prius. ut siqui in sancta loca precipueque in sanctorum apostolorum petri et pauli basi
licas confugerent. hos inprimis inuiolatos securosque esse sinerent. tum
deinde in quantum possent prede inhiantes a sanguine temperarent. Accidit
quoque quo illa magis urbis inruptio indignatione dei acta quam hostis forti
tudine probaretur. ut beatus innocentius romane ecclesie episcopus. tamquam iustus
loth subtractus a sodomis. occulta prudentia dei apud rauennam tunc positus peccatoris populi non uideret excidium. Discurrentibus per urbem barbaris.
forte unus gothorum idemque potens et christianus sacratam deo uirginem iam etate
prouectam in quadam ecclesiastica domo repperit. Cumque ab ea aurum atque argen
tum honeste exposceret. illa fideli constantia esse apud se plurimum. et mox
proferendum spopondit ac protulit. Cumque expositis opibus attonitum barbarum
magnitudine. pondere. pulchritudine. ignota etiam uasorum qualitate: in
telligeret. uirgo christi ad barbarum ait. Hec petri apostoli sacra uasa minis
teria sunt. presume si audes. de facto tu uideris. Ego quia defendere non queo.
tenere non audeo. Barbarus uero ad reuerentiam religionis timore dei ac fide
uirginis motus. ad alaricum hec per nuntium retulit. Qui continuo reporta
ri ad apostoli basilicam uniuersa ut erant uasa imperauit. uirginem etiam simulque
omnes qui se adiungerent christianos. eadem cum defensione deduci. Ea domus
a sanctis sedibus longe ut ferunt et medio interiectu urbis aberat. Itaque
magno omnium disposita per singulos singula. et super capita elata palam
aurea atque argentea uasa portantur. exertis undique ad defensionem gla
diis. pia pompa munitur. ymnus deo romanis barbarisque concinnentibus
publice canitur. Personat late in excidio urbis salutis tuba. omnesque et in
abditis latentes inuitat ac pulsat. Concurrunt undique ad uasa petri.
uasa christi. plurimi et pagani christianis professione et non fide admiscentur. et per hoc
tamen ad tempus quo magis confundantur euadunt. Quanto copiosius congre
gantur romani confugientes. tanto auidius circumfunduntur barbari de
fensores. O sacra et ineffabilis diuini iudicii discretio. o sanctum illud et
salutare flumen. quod parua exortum domo dum beato alueo in sanctorum sedes ten
deret oberrantes periclitantesque animas in salutis sinum pia rapacitate
peruexit. O preclara illa christiane milicie tuba. que generaliter
cunctos dulcissimo ad uitam modulamine inuitans. quos ad uitam

Alaricus gothorum rex romam obtinuit. hic christianus fuit